



Iohannes à pueris optimis literis incubuit, atq; primitus rudimentis in patria perceptis sese ad Basiliensem Academiam contulit. Ibi magna diligentia artibus & linguis operam dedit, & præclarum eruditioñis nomē sibi comparauit. Postea quoq; ut literarum studia commodius iuuaret, typographicis artibus incubuit, atq; Basileæ instructissimam officinam apperuit. In ea optimos quosq; auctores edidit, atq; Hieronymum, Augustinum, & similes patres in lucem emendatius protulit. A contentiosis uero libellis, unde quæstum haud medio crem alij haberent, ipse suam officinam semper immunem seruauit. Erat præterea Iohannes magna sinceritate prædictus, qui etiam si uoluisset nihil simulare aut dissimulare potuisset, eius natura repugnante. tam promptus & alacer ad bene merendū de omnibus, ut indignis etiam ex ipso beneficij quipiam accessisse gauderet. Fide tam incorrupta, ut in neminem magis congruat illud: Dignus qui cum in tenebris mices. atq; ut ipse fraudē nemini machinabat, ita de nullo tale quicquam suspicari poterat. offensas quamvis arduas prius condonabat, quam rogaretis qui offenderat. Itaq; Erasmus huius uiri fama percitus Basileā uenit, atq; uarias suas lucubrationes in Frobenij officina edi uoluit. Cum Iohanne quoque summa familiaritate per aliquot annot uixit, atque cum eo uarijs officijs certauit.